



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De impletione illius mandati, Diliges Deum ex toto corde. F. G

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

ligat, ut profit sibi. Quin autem se diligat, & prodesse sibi velit, dubitare dementis est. Modus autem præcipitur, cum ait, sicut teipsum: ut proximum diligas ad quod teipsum. Si ergo te non propter te diligere debes, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est: non succenseat alicuius aliquis homo, si & ipsum propter Deum diligis. Huius dilectionis modum veritas insinuat dicēs. Mandatum novum do vobis, ut diligatis inuicem sicut dilexi vos, id est, ut filii sitis ut vitam habeatis.

De modo diligendi Deum.

Dilectionis autem Dei modus insinuat cum dicitur. Ex toto corde, i. ex toto intellectu: ex tota anima, i. ex tota voluntate: ex tota mente, i. memoria, ut omnes cogitationes, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers illi. Hæc dicens, nullam partem vitæ nostræ reliquit, quæ vacare debeat: sed quicquid venerit in animum illuc rapiatur quo dilectionis impetus currit. Et diligere Deum propter se, modus est diligendi Deum: & sunt isti duo modi diligendi Deum, ut quibusdam placet.

De impletione illius mandati.

Illud autem præceptum non penitus impletur ab homine in hac mortali vita, sed ex parte, non ex toto: quia ex parte diligimus, sicut ex parte cognoscimus. In futuro autem implebitur ex toto. Vnde Aug. Cum adhuc est aliquid carnalis concupiscentiæ, non omni modo ex tota anima diligitur Deus. Caro autem non dicitur concupiscere, nisi quia anima carnaliter concupiscit. Cum autem venerit, quod perfectum est, ut destruat, ex parte est. i. ut iam non ex parte sit, sed ex toto: charitas non auferetur, sed augebitur & implebitur. In qua plenitudine illud præceptum charitatis implebitur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Tunc erit iustus sine peccato: quia nulla erit lex expugnans

Aug. lib. de doct. Christ. 1. cap. 22. post medium. Ioan. 13. &

E Aug. lib. de doct. Christ. cap. 22. ad finem.

F 1. Cor. 11. & Aug. in lib. de perfectione humana iustitia contra celestium ante medium in responsione 17. Ibid. paula inferius.

menti

menti. Tunc prorsus toto corde, tota anima, tota mente, diliges Deum: quod est summū præceptum.

Questio de præcepti ratione.

Aug. in eodem lib. de perfectione iustitia continuò to. 6.

Sed cur præcipitur homini ista perfectio, cum in hac vita eam nemo habeat? Quia non rectè curritur, si quo currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Ecce habes cur illud præceptum est quod hic penitus impleri non potest. Impletur tamen ex parte, scilicet secundum perfectionem viæ. Alia est enim perfectio currentis, alia peruenientis. Facit hoc mandatum vt cursor, qui Deum ante omnia & præ omnibus diligit, nec tamen omninò perficit.

Quod alterum mandatum in altero est.

*Rom. ii. c. 6.
Galat. 5. c.*

Cum autem duo sint præcepta charitatis, pro vtroque sæpe vnum ponitur, nec immerito: quia nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligi potest. Vnde Apost. Omne mandatum legis dicit instaurari, i. contineri & impleri in hoc verbo. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et Christus dilectionem proximi specialius commemorat dicens. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: vbi illud maius mādatum dilectionis Dei videtur prætermissum: sed bene intelligentibus, vtrumque inuenitur in singulis: quia qui diligit Deum, nō potest eum contemnere, quē Deus præcipit diligi: & qui diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta: quam distinguens Dominus ait: Sicut dilexi vos, Quid enim nisi Deum dilexit in nobis, non quem habebamus, sed vt haberemus? sicut medicus ægrotos, & quid in eis diligit nisi salutem, quam cupit reuocare, nō morbum quem venit expellere? Sic & nos inuicem diligamus, vt quantum possumus inuicem ad habendum in nobis Deum ex dilectione attrahamus.

Quæ charitate diligenda sint.

I
Sed